

lium tractatio nullam dignitatis imminutionem ipsis afferre possit ac debeat. Nullibi sanè hoc est fundatum aut in jure provisum, quòd tractatio judiciorum criminalium splendorem nobilitatis obscuret. Proinde isthac quidem opinio est falsa, utpote omni Juris fundamentò destituta, quam Imperator quoque non attendendam esse vel hoc articulò indicare voluit. 2. *Incrementum honoris & dignitatis*, nimirum hæc Judiciorum criminalium tractatio cedit nobilibus in dignitatis incrementum. Quod Renatus Choppinus *l. 2. de Privileg. Nobil. c. 13. p. 179.* ita exprimit: *Quando nobiles Judiciis criminalibus assident. & ipsi de vita & sanguine, fama & fortunis subditorum judicare sciunt, hoc ipsis in summum decus gloriae cedit; Volunt enim cæteris superiores esse, & ad imperandum & judicandum se natos esse fatentur non obscure, ideo tantum abest, ut illorum dignitati quicquam detrahat, si de sanguine & vita judicent, ut potius illud in augmentum gloriae & honoris illis cedat* Quod ipsum 3. *ad profectum Justitiæ* cedit, dum illi Justitiam ad puniendos delinquentes, & ad terrorem reliquis inculcandum exercere sciunt. Et sanè si Principibus non est turpe Judiciis criminalibus præfidere, quò pacto in opprobrium cedit nobilibus, si ipsi talibus Judiciis interfuerint, & operam dederint, ut delinquentes puniantur? Ut proinde salva ipsis maneat dignitas, si criminalia Judicia tractaverint. Quod si ex moribus Germaniæ hodiernis loquamur, Judicia criminalia nobiles possident jure feudi; ita, ut si ipsi ea Judicia vel negligenter tractaverint, vel ea exercere nolint, eorum jacturam pati cogantur. Tandem concludit Imperator, ut si quidam nobiles hætenus in propria persona exercuerint Judicia criminalia, & in posterum ipsi laudabilem istam consuetudinem sequantur, nec non antiquum istum morem in suo vigore conservare velint. Ratio est: quia si Imperator æquum esse censuit, ut illi, qui hætenus Judicia criminalia detrectabant, in posterum illa exercerent; quantò convenientius fuerit, ut illi in eodem munere subsistant, qui hætenus in propria persona Judicia criminalia tractarunt.

ARTICULUS II.

*De officio eorum, quorum prædiis, sive feudis, judicandi munus
coheret, & qui judices, vel Scabini esse nequeunt.*

Von denen / so die Gerichte ihrer Güter halben
besitzen.

Welche